DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE ICTERO:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JOHANNIS RAVENSCROFT,

VIRGINIENSIS.

Ad diem 12 Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXX.

14

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30788900

VIRO DOCTISSIMO

JOHANNI GREGORY, M. D.

USUS ET MEDICINÆ INSTITUTIONUM

PROFESSORI

IN ACADEMIA EDINENSI,

PRÆCEPTORI ERUDITO,

MORUM URBANITATE PROBATO,

PRO SIGNO STUDII ET AMORIS SUI

TENTAMEN HOCCE QUALECUNQUE,

D. D. C. Q.

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

DE

ICTERO.

CHARACTERES hujus morbi proprii ſunt, oculorum et cutis flavedo, alvi foeces cinericei coloris, fuſca admodum urina, pannos immiſſos colore flavo vel potius croceo imbuens.

ICTERUS, apud auctores rem medicam tractantes, intra tres ordines deſcriptus fuit; idiopathicum, acutum, et criticum. Idiopathicum pro argumento tractationis hujus qualiſcunque delegi; quoniam acutus et criticus aliis morbis implicatur, et characteres noſtri proprios non habet.

ACUTUM et criticum notare licet nonnullas febris ſpecies conſequentes, v. g. In febri bilioſa ab SYDENHAMO deſcripta,

ta, et in putrida flava febre, Indos Occidentales vexante, bilis magna vis ejicitur ſurſum et deorſum.

Icterum criticum ab Hippocrate memoratum, an lethifer ſit necne, praeterire ſatius ducimus; quoniam e curſu nos diſtraheret, ad modum excutiendum quo morbi hujuſcemodi ictero impliciti et connexi forent expugnandi.

SYMPTOMATA.

Morbus hicce vulgo oboriri notatur oculorum tunica albuginea; et ſenſim ſerpens, vires acquirit eundo, et unguem album et cutim undique colore croceo obducit.

Lotium fuſcum redditur; et lintea vela huic immiſſa eundem vel croceum colorem referunt.

Ægrum laſſitudo et ſopor plerumque inceſſunt; quos affectus fere conſequitur

ſtricturae

ſtricturae et compreſſionis ſenſus ventriculi ore; ciboque capto, dolor hicce adaugeri ſolet.

Nausea, appetitus proſtratus et delectus, fuga et faſtidium cibi, alvus aſtricta, foeceſque colorem cinericeum referentes, hunc morbum denunciant et indicant.

Causæ variae et diſcrepantes, unde morbus provenit, ſymptomatum ordinem interturbant. Oboritur aliquando, cum laſſitudine, horrore, et ponderis incumbentis dextro hypochondrio ſenſu. Interdum, initio, laborat aeger ſpirando, et doloribus tranſcurrentibus ſub ventriculo, partem verſus dextram corporis; tum color mutatus totam ejus ſuperficiem ſuffundens, et dehinc virium concoctionis laeſio, et ventriculi morbide laborantis ſymptomata, occurrunt. Illis ſymptomatibus ſaepe accidit, minus dolere aegrum ſedentem erecte, quam exercitatione utentem, aut recubantem.

Somno gravi et multo opprimuntur aegri; nonnulli vero inſomniis vexantur.

Arteriarum pulſus fere tardus plenuſque. Cutis aret. Difficultas ſudorem excitandi oboritur. Minore copia ſecretiones cunctae peraguntur. Animus languescit, exercitium aufugit et averſatur. Si ſudor flavus uberius et fuſius proveniens morbum non emollit, vel diarrhoea bilioſa, nec comprimit nec fugat, majore vi ſymptomata aggrediuntur, aegerque magis periclitatur. Guſtus vitio laborat et corrumpitur; dulcia referunt amara, et haec contra amaritudinem amittunt. Sputum bilis colorem induit, et proprium amittit. Anxietas circum praecordia vehementer graſſatur.

Morbo diutius ingraveſcente, aegrum praeterea dolores diverſimode intra abdomen percellunt; et nonnunquam percipere eſt, ut partes dolentes extra intumeſcant. Regio ſplenis ſaepius obſcure dolet. Prurit cutis. Toto corpore color in luridum vel ſubnigrum mutatur; et hoc morbi ſtadium inſignimus nomine

Nigri

Nigri Icteri. Tandem curſu citato ſuperveniunt aeſtus hecticus et ſymptomata humorum ſolutorum. Urina et foeces nigreſcere incipiunt, dum hydrops, vel ſudores colliquativi, vel haemorrhagia, ſupremum vitae diem claudunt.

Nonnulli inter ſymptomata morbi hujus memorant objecta oculis flavere viſa; verum ſuppetunt exempla ſolummodo pauca ad fidem demerendam.

Ex diſſectionibus liquet, corporis et duras et molles partes colore luteo pariter ſuffundi; et ſanguinem ipſum vix aliud referre quam urinam aegri.

CAUSÆ REMOTÆ.

Bilis viſcida vel atra.

Calculi aut in ductu communi aut hepatico.

Sordes in duodeno.

Ductuum vel duodeni ſpaſmus.

Vicinarum

Vicinarum partium ſchirrhi vel tumores quibus ductus comprimuntur.

Ductus communis coaleſcentia.

CUNCTÆ hae cauſae hac via morbum inducunt, bilis excretionem in duodenum interpellando; et ſane quicquid hoc efficit, labem hanc humani corporis progignit. SAUVAGESIUS exemplum tradidit icteri illati ex ductu contorto, ubi aeger cholera morbo laborabat, ſpaſmo viſcerum abdominis una graſſante. Quaerendum, an evenire poſſit, ut bilis uberior ſecretio, remoram tranſitui hujus bilis faciendo, morbum hunc inferat?

CAUSAS icteri diſtribuere licet in mediatas et immediatas.

QUICQUID bilis excretionem ex ductibus biliariis reprimit et obſtruit, eſt cauſa mediata.

VIS obſtruens, jam exiſtens, fit cauſa immediata; iter nempe ſtruit, quo itinere bilis circulationem ingreditur; quod ponere placet pro cauſa proxima.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

Nobis animo volventibus cauſas jam memoratas, et reputantibus quales effectus earum vim neceſſario conſequatur; omnino perſuaſum eſt, bilem jam ſecretam in circulationem reverſum iri, unde ictericorum faciem et colorem aeger induet; dum alia hujus morbi phaenomena ex inopia bilis vel defectu apud inteſtina dimanant. Quapropter bilis introitum praeter naturam in fluida circumeuntia ſtatuere fas eſt pro cauſa icteri proxima.

Agitata lis fuit, qua via bilis introitus in ſyſtema fluidorum circulantium effici poſſet; dum affirmant quidam effici introitum ejus motu retrogrado a ductibus in venam cavam; alii, hanc ſententiam averſantes, contendunt, vaſa lymphatica per ſe hoc opus expedire et perficere. Argumenta meam ſententiam ſtabilientia proferam; et dehinc ad objectiones diluendas

endas huic repugnantes pro virili memet accingam.

Quasdam anaſtomoſes ductibus biliariis et venae cavae interjectas eſſe, quippe argentum vivum et liquores tranſeunt et regrediuntur hac via, ex Halleri injectionibus conſtat.

Bilis regurgitatio nequaquam circulationis legibus repugnat; quoniam fert natura, compreſſum undique fluidum, inde avolaturum, unde minima eſt reſiſtentia; et exitus hic praeclare oſtenditur ab injectionibus Halleri jam memoratis.

Si vaſa bile compleantur, et obſtruatur ejus exitus, tunc diaphragmatis et muſculorum abdominis actio juncta, ſimul cum vi a tergo venae portarum, vim quandam impulſivam una exſerere poſſint, qua bilis ſe transfundere cogatur in venam cavam per anaſtomoſes antea memoratas. His rationibus ductus, mihi perſuadeo, regurgitatione commodius et ſimplicius viam oſtendi, qua bilis in ſanguinem transfundi et miſceri poſſit, quam

ſi

ſi cum quibuſdam affirmemus, poſt obſtructionem natam, per meatus inorganicos bilem exſudare, hacque ratione ad lymphatica pervenire. Fateri cogimur, vaſa hepatis injecta prae ſe ferre liquorem coloratum in membrana celluloſa, ramis ductus hepatici contigua, et illos comitante. At nequaquam inde placet vivo idem evenire: Etenim, ſi via quondam pateret bilis exſudationi, cauſae leviſſimae iter ejus conſuetum impedientes morbum hunc inferrent; v. gr. ſecretio bilis uberior talem effectum ederet, quod rariſſime evenit; aut ſolummodo cibo vacuefactus ventriculus, inde enim bilis in duodenum emulgentia obſtruitur, icterum gignere valeret, quod experientia vix comprobavit. Fateri quoque lubet, ſaepe exſudare bilem ex folliculo fellis, flavoque colore vicina viſcera contingere; at hoc ſaepius accidere compertum habeo, quum ſuſpicandi interveniret nulla cauſa mortuum ictero laboraſſe.

Mihi perſuaſum eſt, abſorptione per ſe poſita nequaquam patere quomodo ſanguinem bilis ingrediatur.

Inepta ſunt ſua natura vaſa lymphatica ad partes eſſentiales fluidi jam ſecreti excipiendas. Fellis folliculus fere plenus eſt. Multa fellis vis ſaepius et diu ventriculo latuit, et nihilo ſecius icterus non conſecutus eſt. Praeterea, ni hallucinor, in diſſectionibus cadaverum ictericorum, lymphatica detecta fuerunt ſana et integra; choleraeque morbo, ubi maxime exſpectanda fuit abſorptio, icterus raro intervenit.

Concedamus neceſſe eſt, bilis in ſanguinem introitum nonnunquam ejus copioſas ſecretiones conſequi; ſed, mea ſententia, id ſolummodo evenit ubi graviter laxatum fuit ſyſtema fibroſum. In febri flava, quae adoritur Jamaicam incolentes, clare patet; necnon febribus intermittentibus, quae graſſantur apud regiones Solibus calentes, ſi perſtent diu, ſudor ita bile fit commixtus, ut toralia croceo colore

multum

multum imbuat. His rebus poſitis, forſan concedamus, bilem, magna ſecretione quondam orta, ingredi poſſe ſanguinem ex abſorptione vel tranſudatione cui abſorptio inſequitur.

Contra ea, graſſatur icterus, ubi ſyſtema fibroſum multo diverſum eſt. Hypochondriaſi, v. gr. fibrae compages ſaepe firmiſſima eſt.

Non operae pretium eſt immorari refellendo theoriam qua ponitur, ſanguini bilem propria forma coexiſtere, et ibi colligi, ob meatum per hepatis ductus occluſum; quum in confeſſo eſt, nullum fluidum ſecretum propria forma ibi exiſtere, priuſquam proprium ejus organum ſecretionis pertranſierit,

SYMPTOMATUM RATIO.

Morbum primo conſpici et apparere in oculorum tunica albuginea et unguium albo, inde provenire poteſt, quod hae partes, coloris

coloris expertes, bilis ſuffuſionem clarius et citius oſtendunt. Cutis et urinae flavedo ex eadem cauſa ortum ducit.

Laſſitudo et torpor, cum ſenſu ſtricturae et compreſſionis in ventriculo——Proveniant laſſitudo et torpor, quia canalis inteſtinorum tenſio debilitata fuit, ſtimulo a bile orto deficiente. In hypochondriaſi, ventriculum et inteſtina atonia graſſatur; et inde torpore ſaepius laborat aeger: Sed, ut atoniam inteſtinorum omittamus, quoniam obtundendis acidis bilis inſervit, ex inopia ejus, acida praeter ſolitum adaugeri poſſint in canali alimentorum, et gignatur torpor ex eorum vi ſedativa.

Forsitan bilis, quomodo ſyſtemati nervorum adplicetur, facultatem aliquam ſedativam contineat. Vix enim memini torporem inter ſcirrhoſi hepatis ſymptomata memoratum; licet non ſolum hepar totum ſcirrho affectum, ſed alvus aſtricta et purgamenta ejus cinericea, abſque ictero tamen, copiam bilis ſecretam fuiſſe minimam, oſtenderent. Anxietas, ſtricturae

ſtricturae et compreſſionis ſenſus, ut mihi videtur, ab damno ventriculo illato ex conjunctione ejus cum hepate producuntur. Cumulari poteſt malum ex pondere hujus viſceris adaucto; extenſione nempe ejus ligamenti, quo diaphragmati ſub ventriculi ore annectitur.

Nauſea, &c. alvus adſtricta, et foeces albae.——Nauſeam et caetera laeſae digeſtionis ſymptomata derivari veriſimile eſt ex ventriculo primiſque viis ſordibus repletis, digeſtione male peracta, ex inopia magni ejus adjumenti bilis.

Ex conſenſu ejus cum ductibus biliariis ventriculus quoque laedatur; talis enim ſympathia in nephritide jam innotuit. Ex defectu bilis apud inteſtina gignuntur alvi aſtrictio et foeces cinericeae. Decompoſitionem bilis acida efficiunt; et, dum pars flava delabitur, cum ciborum parte foeculenta et ad putredinem vergente, ſtimulum inteſtinis indit, quo ſua munera exſequantur.

SPAS-

Spasmo horror conjungitur; calculum in uretere et ſpaſmum febris incipientis quoque comitatur. Pondus dextrum hypochondrium premens proveniat ex hepatis magnitudine aucta, et hac magnitudine diaphragmatis deſcenſum inſpirandi in articulo impediente. Bilis ipſa, exitu occluſo, magnitudinem hepatis augeat. Copia quoque ſolita ſanguinis in illud viſcus manans, cum bilis rata pars nec ſecernatur nec emittatur, ad augendum hepar conducat. Alte tranſcurrentes dolores ex calculis ductus irritantibus obveniunt, vel ex diſtenſione a bile ſola orta originem trahunt. Hepatis amplitudo et pondus, ſolito majora, ventriculo et diaphragmati ſedentis quam recubantis minus incumbent; et exercitatione extendi hepatis ligamenta neceſſe eſt, unde augeatur dolor.

Sopor gravis et longus.——Hoc phaenomenon oriri probabile eſt ex circulatione ſanguinis intra abdomen impedita, et quia ſitus horizontalis tunc impetum ejus

caput

caput verſus dirigit et auget. Naſcantur inſomnia ex ventriculo dolente et oppreſſo.

Pulſus tardus plenuſque.——Ex torpore univerſum ſyſtema graſſante oriatur.

Arida cutis.——Ex eodem fonte.

Desidiam et languorem animi memorare, vix neceſſe habeo; quoniam hujuſmodi ſymptoma ex cognitione naturae certa ſtabilique explicare haud mihi vindico.

Oris amaritudinem et ſputum flavum non mirari fas eſt; cum corporis totos humores bile commixtos et ſaturatos eſſe recordamur; et vehemens anxietas ſpectanda haud aliter, quam digeſtionis depravatae gravius ſymptoma.

Dolores et tumores abdomen diverſimode infeſtantes, ex circulatione hepatis obſtructa ortum ducunt.

In ſplene dolor obtuſus.——Sua natura viſcus iſtud parum ſentit; magnaque ſanguinis copia per illud ad hepar tranſmiſſa obſtructionem ejus gignat, quando hepatis circulatio impedimento laborat.

Pru-

Pruritus, colorque cutis mutatus, aeſtus hecticus, et humorum colliquatio;——Proveniant cunctae ex immutatione facta, quoad bilis componentes partes magna copia per ſyſtema effuſae, et ſanguine per admixtionem bilis ſoluto.

Urinae et foecum nigredo——Ad eandem morbidam colliquationem eam referre licet. Hydrops vero ex viſcerum abdominis obſtructionibus oriatur. Oriatur quoque ex cachexia ab chylopoeſi depravata inducta, pariter ac vi illa, ad bilem adſcripta, fluida ſolvendi. Sudores colliquativi, ut opinor, ad fluidos reſolutos haud minus referendi.

SI quando viſa ſunt objecta flava, eveniat iſtud ex medio viſionis laeſo et mutato, nempe parte bilis aliqua corneae vaſa ſubtiliora ingreſſa.

CAU-

CAUSARUM EXPLANATIO.

Bilis viſcida et porracea.——Bilis viſcidae cauſae praediſponentes ſunt moeror, metus, et temperamentum melancholicum; at, quomodo hae cauſae ad effectum hunc edendum vires exſerunt, fateri cogor me ignorare.

Bilis viſcidae exiſtentia, propter ſordes exitum ductus in duodeno obſtruentes, aegre notanda venit. Morbo inveteraſcente, haec cauſa minime latet; bilis etenim et ore et ano ejicitur. Forſan exiſtentiam ejus cauſae praediſponentes minus dubiam reddent.

Calculi biliarii.——Calculorum cauſas praediſponentes me latere fatendum. Vero, quantum ferat ingenium, explicare aggrediar. In fellis veſiculo repertae fuerunt concretiones, viſciditatis omnes gradus intermedios uſque ad lapidoſam concretionem poſſidentes; haeque plus minus bilis qualitates continent. Cauſae

igitur bilis viſcidae praediſponentes tandem calculos producunt, ad quem finem conferre poteſt abſorptio; dum abſorptio remora augetur, vel modus quo ſecretio peragitur majorem ſolito copiam terrae vel olei in bilem ſecretam inducit. Forſan etiam gignuntur calculi ex mucoſis fellis veſiculae folliculis, quomodo dentium tartarus vel concretiones lapideae, in ductibus ſalivalibus inventae, gignuntur.

Indicia, quibus ſcire licet ductuum calculos exiſtere, ponit Hoffmannus, et nec vana nec aequivoca eſſe contendit. Quae ſunt dolores graves et tranſcurrentes dextri hypochondrii ſub cordis ſcrobiculo, perpetuo vexantes, etiamſi parva aliqua remiſſio nonnunquam ſentiatur; anxietas circum praecordia gravis, ſpirandi labor cum pectoris compreſſione, nauſea, cui interdum conſequitur vomitus, cum vigiliis inquietudo; ad haec, aeger incedere cogitur dorſo inclinato.

In Duodeno Sordes.——Qui compage corporis ſoluta et debili utuntur, victu-

que

que opimo et aegre concoquendo capiuntur, tali colluvie plerumque laborant; necnon infantes recenter in lucem editi, propter meconium ductum obſtruens.

Ductuum vel Duodeni Spaſmus.—— Ex calculis ductum irritantibus ſpaſmus illius oboritur, et inde ad duodenum ipſum derivatur. Affectus animi acres et vehementes ſpaſmum gignunt: Licet interdum bilis ſecretionem nimiam et praeter naturam excitent, ſententia fert eos ſtricturam ſpaſmodicam quoque efficere poſſe. Ut omittamus in praeſentia, tolli poſſe icterum ſolis antiſpaſmodicis; affectum, partem ſingularem impetu vehementiore aggredi vidimus, et affectum eundem nihilominus ſtricturam ſpaſmodicam gignere. Vultus ira rubeſcit; at vidi quoque furibundum palleſcere. Amoris aeſtus ſanguine penem implet: At cognitum habeo, libidinem commotiorem membrum iſtud aliquando debile vanumque ad venerem reddidiſſe, ubi impotentia minime exprobranda fuit, et tunc, loco intume-

ſcentiae

ſcentiae ullius, penis, funiculi inſtar, viſus eſt. Diutina obſervatione comprobatum fuit, iram ſitim inducere; citius etiam in ſanguinem retro lac cogere. Dum haec perpendo, et iracundiae icterum ſaepius et celeriter superveniſſe, mihi perſuaſum eſt, animi affectus ſpaſmum efficere poſſe; et in hunc finem, haud neceſſe habeo, in ductum communem calculum ſubire, ad obſtructionem deſideratam gignendam ex hepatis agitatione vel bilis ſecretione adaucta.

Morsus animalium quoque ad icteri cauſam et originem praebendam facere, ſententia fert credere, nempe ſpaſmum inferendo. Patet enim terrorem plerumque conſequi morſum illorum; et iſte affectus per ſe ad icterum gignendum ſufficit. Venena et cathartica irritantia ſpaſmum progignunt; pariterque icterus iſte oritur, qui obſtructionem menſium vel haemorrhoidum conſequitur. Conditio corporis irritabilis, cum cauſis ad ſpaſmum

diſ-

diſponentibus, in ſuſpicionem ejus praeſentiae nos inducat.

Tumores vel Scirrhi Ductum comprimentes.——Tumores ad longe diverſas cauſas referendi. Alvi aſtrictio colon foecibus ita occludit, ut hic effectus inde derivetur. Si mulier gravida ſit, ex hoc fonte profluit clades. Forſan etiam per ſe inflammatio et incrementum ſubſequens partis alicujus hepatis, lobuli Spigelii, ex. gr. hunc effectum edat. In ſcirrhum inflammatio ſaepius exit. Incidunt hi ſcirrhi in hepar, pancreas, vel glandulas lymphaticas, magno numero poſitas circa ductum communem. Procul dubio judicare difficillimum eſt quando hi ſcirrhi ſunt cauſae obſtruentes; vireſque meas longe ſuperat certum aliquid de hac re ſtatuere.

Ignorantiam ſummam profiteor quomodo dignoſcatur ductuum coaleſcentia, et multo magis qui ſanetur; itaque vanum et futile habeo de his rebus aliquid proferre.

PROG-

PROGNOSIS.

Si cauſae obſtruentes icteri certo et evidenter ubique paterent, de fine et exitu morbi nullo fere labore ſtatuere liceret; hae vero obſtructiones, tenebris ab oculis noſtris obrutae, ſaepiſſime omnino vacillare judicium cogunt. Primo, prognoſin generalem tractabimus; dein indicia dabimus, quorum ope, judicium de laeto vel adverſo cauſarum ſingularum exitu, unde naſcuntur obſtructiones, inſtituere oportet.

Sub generali prognoſi complectimur ſigna ex aetate aegri, vel habitu corporis, vel aetate morbi, oriunda. Junkerus et Hoffmannus juvenes citius quam natu grandes hoc morbo levari memorant. Status praeterea fluidorum putreſcens, vel relaxatio ſyſtematis fibroſi gravis, celeriter ſanguinem ſolvant oportet, et ſanationem impediant. Morbi aetas haud minus ſpec-

ſpectanda; ſi longo tempore invaluerit, liqueſcunt fluida, unde hydrops et haemorrhagia magnopere pertimeſcenda.

Judicium laetius ſtatuamus, ſi bilis viſcida ſit cauſa obſtructionis; eoque certius ſi adhibeantur medicamenta, quae, hepar agitando, emulgentiam ductuum biliarium promoveant. Judicium labi proclivius ſit, quando ſtatuere neceſſe eſt de calculis. Nam facultas hos deducendi ex ductibus biliariis forma et magnitudine calculorum nititur; praeterea, etſi unus ejiciatur, alius huic ſuccedit; unde levamen vel remiſſio ſolummodo mali ſit.

Colluviem facile eſt expurgare; unde ſalus ſit certior, ubi ex hac cauſa morbus obvenit.

Augurium quoque laetum fiat, quando ſpaſmus morbum inducit; vel enim ſponte et abſque vi diſcedit, vel facile expugnandus eſt ordine iſto medicamentorum, nomen ex hoc uſu trahentium. Tumores, quoniam genere diſcrepant, ita judicium diverſum poſtulant.

Quid

Quid ſtatuamus de ictero ab alvi aſtrictione vel graviditate orto, haud obſcurum eſt. Hepatis ſeu viſcerum aliorum ſcirrhi eventum minus laetum oſtendunt; quippe ſumma opera reſolvendi ſunt, ſi reſolvi queant. Inflammatio tumorem inducens abſque periculo vix graſſatur; quoniam eventum ejus regere haud ſemper opis eſt noſtrae.

Si ductus coaleſcant, fatum eſt ineluctabile.

MEDENDI METHODUS.

Indicia ſpectanda ſunt,

Ut cauſas bilis ſecretionem obſtruentes tollamus.

Ut ſubſidium feramus, quo bilis defectus apud inteſtina levetur.

Ut bilem e ſyſtemate deducamus.

Causarum obſtruentium ordinem ſequar.

Deducenda bilis viſcida emeticis et catharticis; quorum vis et facultas eſt, ut hepar

hepar ductuſque ejus concutiant. Si vero corporis conditio ad plethoram vergit, venam prius ſecare tutum eſt, et leniora purgantia adhibere, qualia ſunt infuſ. amar. cum ſenna. Sapo quoque huic fini inſerviat, bilem viſcidam attenuando. Sordes eadem ratione auferantur; tantum notare licet, uſum catharticorum et emeticorum crebriorem minime deſiderari, hac obſtructione graſſante aeque ac in priore. Amaris catharticis plerumque utimur, qualia ſunt rhabarbarum et aloe.

VARII fontes unde ſpaſmus derivari queat, curam et operam diverſam poſtulant. Si icterus ex carthartico irritante provenit, calida diluentia, medicamenta oleoſa, et opium, maximo adjumento erunt. Clyſteres emollientes, quia calore fovent ductus biliarios, merito celebrantur. Vis eorum antiſpaſmodica intendatur, laudanum adjiciendo. Spaſmis, ubi habitus eſt hyſtericus vel hypochondriacus, gummi faetida opem pollicentur. Si, hac aegri conditione, obſtructionem menſium aut

haemorrhoidum morbus ſubſecutus eſt; tunc praecipue ſpectandum, ut evacuationes haſce revocemus, aut aliis loco earum utamur; ſi plethora adſit, hoc conſilio ſanguis emittendus parce et vicibus repetitis, vel laxativa adhibenda, vel hirudines ano apponendae. Spaſmum plerumque levare fas eſt lavatione calida, remediis antiſpaſmodicis, qualia ſunt moſchus, opium, aether, &c. alvumque laxam ſervando.

Calculi auferantur, ſi ductuum ſpaſmus ex hiſce oriundus levatus fuerit, et ita eorum expulſio promoveatur; quibus finibus inſerviunt opium, lavatio calida, venaeſectio, et clyſteres emollientes.

2. Si agitatio expulſioni horum accommoda adhibeatur, cui fini inſerviunt emetica, equitatio, et hujuſmodi exercitia, cathartica; calculorum reſolutio tentetur gramine, ſapone, aqua marina.

Inde conjectari licet, ſalubre eventurum gramen huic malo, quod pecudes tempore Brumali depaſcentes foenum talibus concretionibus vexantur, quae per ſe ſolvuntur

tur Vere redeunte et gramina reducente.

Duo remedia proxime tradita accepta refero ad auctores medicos.

Hepatis tumor inflammatorius tractetur oportet venaeſectione et regimine quam maxime antiphlogiſtico; quum colon foecibus infarciatur, eccoproticis expurgetur. Sponte natura opem fert gravidis hoc morbo captis; quanquam operae pretium ſit notare, quum in cauſa icteri gravidae plethora fuit, ut tradit Hoffmannus, et alvus aſtricta, forſan laxativa adhibita, colo exhaurienda, magis proficerent quam venaeſectiones ab illo laudatae. Ad ſcirrhos diſcutiendos adhibita fuerunt gramen, cicuta, et argentum vivum; at dubio prorſus marte, ut ego opinor, dum effectus eorum alii laudibus efferunt, alii deſpiciunt.

Ob rationes ex prognoſi a nobis tradita petendas, memet cohibeo ab aliquid praecipiendo ſuper ductuum coaleſcentia; et ſolummodo exponam quam opem ferre liceat aegro, vel ad vitam prorogandam,

vel

vel mala lenienda, ſub loco indicii proxime tractando.

Bilis loco, ſupplementum apud inteſtina.—Bilis apud inteſtina tribus finibus inſervit: 1. Stimulum inteſtinis addit. 2. Oleoſas et aquoſas cibi partes commiſcet; 3. Acida ibi generata obtundit.

Ad finem primum et ſecundum conſequendum, ſi bilis deficiat, amara purgantia cum ſapone adhibenda. Bilis animalium ſpiſſata (bili anguillae vel lucii Boerhaavius utebatur) ad eundem finem conducit. Medicamenta alkaleſcentia, terras abſorbentes, ſuadeam, ad acida ſubigenda; vel laxantia, quibus e corpore deducantur: Magneſia in hunc finem melioris notae eſt; quoniam purgativum praeſtat compoſitum acidis. Amara ſimplicia opem ferunt ad ventriculum roborandum. Laudibus quoque fertur vinum validum nec recens; facili eſſe concoctione debet victus, ſed nutritivus, nec proclivis ad fermentationem acetoſam ſuſcipiendam, vel flatulentiam gignendam.

Quo

Quo bilem reprimamus, ne ſe diffundat per ſyſtema, humorum colliquatio et conditio putreſcens cohibenda.

Hoc conſilio, bilis excretionem e ſanguine promovere debemus perſpirationem augendo; cui conducunt emetica lenia ſubinde repetita, et exercitatio ſecundum vires aegri. Renes et inteſtina ſimul leniter ſtimulare liceat ſalibus neutris et aloe, rhabarbaro, et talibus quae ventriculum expurgent.

Postquam inſedit et inveteraverit morbus, fortiora remedia, qualia ſudores educant, plus obſunt quam proſunt.

Nunc ad finem hujus qualiſcunque tentaminis perventum eſt. Solummodo reſtat, ut teſtemur, nihil nobis optatius accidere potuiſſe, quam opus magis abſolutum, et Praeceptoribus meis dignius, protuliſſe, ſi ſuppetiiſſent vires. Ab auctoribus citandis, quorum ſententiis vel hiſtoriis uſus fui, me continui; haec mihi viſa fuit oſtentatio inſulſa et ludimagiſtro digna: Nae, iſte ingenium haud ignobile venditat, qui Praeceptores ſuos putat aliud ex ſua opella ſperare quam compilationem.

FINIS.

15

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE SCORBUTO:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

DAVID STUART, A.M.

BRITANNUS.

Ad diem 12 Junii, hora locoque ſolitis.

Viden' tu illi maculari corpus totum maculis luridis? PLAUT.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,

Academiae Typographos,

M,DCC,LXX.

VIRO ORNATISSIMO

JACOBO BURNET

DE MONBODDO,

ARMIGERO,

IN CONVENTU JURIDICO SUPREMO

BRITANNIÆ SEPTENTRIONALIS

SENATORI INTEGERRIMO;

MORUM ELEGANTIA ET AMORE VIRTUTIS

INSIGNI;

LITERARUM HUMANIORUM

FAUTORI EXIMIO;

PATRONO SUO PLURIMUM COLENDO;

HOCCE QUALECUNQUE IN MEDICINA

TENTAMEN JUVENILE,

SUMMÆ OBSERVANTIÆ MONUMENTUM,

SACRUM VOLUIT

DAVID STUART.



DISSERTATIO MEDICA

DE

SCORBUTO.

PROOEMIUM.

INTER mala innumera quibus opportunum eſt genus humanum, pauca quidem magis eventu perencioſa, pauca ſub quibus aeger commiſerationem magis meretur, pauca denique, ſi quidem ulla, quae, caſibus in multifariis, artis medicae ſubſidio magis indigent, quam morbus ſcorbutus.

Ecce igitur res magni momenti, notatu perutilis, et arte ſalutifera digniſſima, quae animum cujuſque medicinae ſtudium exercere volentis attentiſſimum merito expoſtulat!

Has itaque ob rationes, dum in legum hujus academiae inclytae obſequium, quo ſummos Laureae Apollinaris honores attingamus, oportuit uti ſpecimen aliquid peritiae medicae eruditorum examini ſubjiceremus, de morbo hocce tractare nobiſcum decrevimus; in quo argumento proſequendo, veſtigiis quam maxime poſſumus certiſſimis incedentes, ordine conabimur:

1. Morbi hiſtoriam enarrare, ſub cujus metis includentur, ab initio, ſymptomatum ordo, prout occurrunt; dein ſigna characteriſtica quibus morbus hicce, ſub variis ſuis formis, ab aliis ſit internoſcendus; tandem vero indicia quae attentius intuentibus eventus futuros praenunciant; ac denique cauſas, ſive ex origine ſyſtemati inhaerentes, ſive caſibus externis exortas, quae in huncce morbum producendum vires ſuas conferunt.

2. Morbi theoriam ſollicite pertentare, agendi modis quam proxime queamus explicatis, quibus cauſae remotiores effectus ſuos operari cenſeantur; deinde cauſa proxima ſedulo inveſtigata, ſub qua morbi indoles eſſentialis unice latitare videatur; denique vero phaenomenón multiformium quae eum comitantur

mitantur rationibus rite perpenſis et in calculum reductis.

3. Medendi methodum veriſimillimam, ſive indicationes curatorias, inveſtigare; enumeratis quantum poſſumus rationibus ad eum praecavendum maxime idoneis; ac denuo remediis indigitatis quibus idem, poſtquam invaſerit, efficaciſſime auferatur.

I. MORBI HISTORIA.

1. *ORDO SYMPTOMATUM.*

Color faciei, in pejora commutatus, ſcorbuti incipientis indicium primum eſſe plerumque videtur; haecce enim magis magiſque paulatim palleſcit, inflatur, et colore ſubflavo ſuffunditur.

Hisce vero ſymptomatis alia ſtatim accedunt, quae ſtatus morbidi praeſentiam lucidiſſime commonſtrant. Ægrotans ita affectus, ignavus, animo dejectus, ſenſim ſenſimque devenit;

devenit; motum averſatur; de torpore, laſſitudine, viriumque proſtratione, conqueritur; ſpiritu graviore laborat, et ex conatu leviſſimo cor celerrime palpitat.

Priusquam autem haecce debilitatis indicia diutius inveteraverint, gingivae rubent, tentigine pruriunt, exinde textura ſpongioſa obductae tumeſcunt, et ad tactum molliuſculae, de cauſa quavis fortuita, vel etiam ſponte ſua, opportunius ſanguinem emittunt. Quae omnia ſymptomata ſpiritus graveolens et inſuavis uſque comitatur.

Cutis, a ſtatu ſuo naturali multum recedens, aſpectu laevigato ac ſublucido primum ſeſe induit; deinde maculae diverſae magnitudinis in toto corpore, vultu excepto, praecipue crura atque femora afficientes, ubique cernuntur; hae maculae primo, de colore caeruleo ac ſubfuſco, lividae, nigraeque paulatim deveniunt, ecchymoſios a contuſione ſpeciem referentes.

Crura praecipue circa talos non raro intumeſcunt, oedematoſa fiunt, et digito impreſſo cedunt; de tali autem impreſſione obſervandum, eam non adeo facile formari, ſed quam

quam illa quae anaſarcam vulgo comitatur multo diutius permanere.

Pulsus interea plerumque debilis, imbecillis, et inaequalis, velocitatem ſuam naturalem raro exſuperat.

Appetitus haud proſtratus manet; et aeger a quiete, praecipue in poſitura ſupina recumbens, notabilem ſymptomatum graviorum remiſſionem perſentiſcit.

Alvus ante morbi acceſſionem haud infrequenter conſtringitur, et per totum morbi decurſum continuo fere conſtipatur. Ex adverſo autem, ſymptomatis hactenus enumeratis dyſenteria haud raro ſeſe conſociat, quae, ubi occurrit, omnino moleſtiſſima habetur.

Urina colore plerumque flammea, copia parcior, ſedimentum craſſum, cinericeum, ſubfuſcum, in rufum vergens, una cum pellicula ſalina ſuperficiei haud infrequenter innatante, deponit.

Urinæ evacuatio quibuſdam in caſibus ardoris ſenſu in urethra ſtipatur.

Sanguis, inciſa vena ab aegrotis ſcorbuticis elicitus, plurimum ſeri ac indolis ſeroſae copiam, omniaque alia ſolutionis indicia, intus ſeſe

oſtendit;

oſtendit; uti inquit HOFFMANNUS *: "Valde "tenue coccinei coloris, et acris vaporis ſe-"rum, nulla craſſiore ſubſtantia in fundo va-"ſis relicta, effluxit." Quae quidem ſententia ex obſervatis a BOERHAAVIO ulterius confirmatur †: "In parte ſeroſa ſalſus, acer, muco "flavo viridi in ſuperficie ſcatens," &c.

ANIMI facultates haud minuuntur, et ſenſus omnis naturalis in extremum conſervatur; ſyſtema tamen nervoſum conſpicua irritabilitatis inſuetae indicia in ſeſe oſtendit; namque dum gaudium facile elevat, timor quam antea promptius deprimit, et audacia in puſillanimitatem evaneſcit.

QUI autem hoc morbo laborant, iidem uti ab aliis morbis vel etiam febribus epidemicis afficiantur minus opportuni ſunt. Ex adverſo autem res alternatis vicibus rite perpenſa minime ita ſe habet; nemo enim morbo ſcorbutico praeda paratior evadit, quam qui a febre convaleſcit.

SYMPTOMATA hactenus enumerata morbum ſcorbuticum vulgo conſtituere jure cenſentur.

At,

* Vid. med. ration. et ſyſtem, tom. 4. part. 5, cap. 1. pag. 10.

† Vid, Aphoriſm, 1151.

At, in morbi provectioris ſtadiis, alia phaenomena innumera ſaepius occurrunt, quae ab omnibus qui de hac re ſcripſerunt accurate ſatis annotantur.

Inter alia multifaria, poplitum tendines haud raro contrahuntur, genua tumeſcunt, dolent, molleſcunt, et oedematoſa fiunt. Ulcera fungoſa in diverſas corporis partes, praecipue vero in crura, ſparſim ubique diſſeminantur.

Aliquando puſtulae areſcentes, eruptionis miliaris ſpeciem referentes, in toto corpore diſperguntur.

Dolores per diverſas corporis partes, in thorace praecipue fixi, una cum ſenſu ſtrictionis et gravitatis inter tuſſiendum auctae, circumvagantur.

Quinetiam vaſa ſanguifera in oculorum angulis colorem ſubviridem ſaepius aſſumunt.

Proclivitas in ſalivam emittendam inſignis huncce morbum haud infrequenter comitatur, quae minuſcula argenti vivi portiuncula adhibita evidenter exſuſcitatur; quinetiam haud raro diſceptatum fuit, an revera quibuſdam in caſibus abſque eo non oriatur.

Sub

Sub hujus autem morbi ſtadio maligniſſimo, ſanguinis fluxus ab omnibus corporis partibus, praecipue vero a gingivis, naribus, et vaſis haemorrhoidalibus, uberrime promanant.

Dentes jam vacillant, et ex acetabulis ſuis dilabuntur. Vulnerum vetuſtiorum cicatrices denuo recrudeſcunt; oſſium infractorum callus a nexu ſuo diſſolvitur; ſpirandi anguſtia augetur; inciſura cujuſlibet leviuſcula in ulcus aperte terminatur. Paralyſis univerſa inſequitur; et haud raro, aegroto ex uno cubiculo in aliud tranſlato, per repentinum aëris recentioris influxum, et per alios hujuſmodi caſus improviſos, lethum tandem exoptatum tragoediam moeſtiſſimam claudit.

Mors utique ipſa funeſtiſſima morbo ſcorbutico non ubicunque terminum ponit; namque frequenter haecce meta, niſi hydrops, icterus, phthiſis pulmonalis, interveniat, nequaquam pertingitur.

Introspectio cadaverum hocce morbo interemptorum parum luminis in naturam ejuſdem ſuffundere videtur. Quoniam aſpectus morbifici crebriores, per inveſtigationem hujuſmodi

modi detecti, nihil aliud oſtendunt, niſi quod cor, hepar, atque lien, majorem in molem augeantur.

2. DIAGNOSIS.

Parum periculi erit ne morbus ſcorbuticus pro alio morbo quolibet habeatur, quippe qui, ſub ſtadio praecipue provectiore, indolem ſibi adeo peculiarem agnoſcit.

Quo vero diſcrimina eum inter et alios morbos in genere ſatis internoſcantur, ejuſdem naturam attentius intueamur.

Catalogus morborum multifarius juxta Cl, Culleni noſtri Noſologiam Methodicam, ad claſſes quatuor omnino refertur. Pyrexiae, Neuroſes, et Locales, per ſigna ſua characteriſtica magis communia, rite perpenſae, ſatis aperte monſtrabunt, ſcorbuti ſymptomata nullam cum horum quovis omnino ſimilitudinem habere. Conſtabit igitur haud eſſe difficile, morbum huncce ab aliis ſingulis diſcernere quibus iſtiuſmodi definitiones applicari queunt. Re-

ſtant igitur in claſſe Cachexiarum morbi caeteri a quibus eum diſtinguere neceſſe eſt.

Sub ordine cachexiarum accenſentur genera ſolummodo tria, nempe Marcores, Intumeſcentiae, Impetigines. Marcores autem per maciem totius corporis quae eos deſignat ab alio genere quolibet ejuſdem ordinis aperte ſatis diſcriminantur.

Intumescentiæ charactere ſuo generali in huncce morbum referri poſſunt; aſt, anaſarca excepta, genera varia, ſub his comprehenſa, per definitiones ſuas ſolummodo, ab eo ſatis elucide diſcernentur.

Si vero morbi utriuſque hiſtoriam accuratius inſpiciamus, periculi parum reſtabit, ne eam ad anaſarcam referamus.

Tumores crurum utrique communes, praecipuam inter morbos binos ſimilitudinem conſtituunt. Sed hujuſmodi tumores in ſcorbuto, gingivae ad tactum molliuſculae, ſpongioſae, ſanguinem prompte emittentes, ubique comitantur: Quae ſymptomata in anaſarca nuſquam cernuntur.

Ordinem impetiginum, cujus ſcorbutus, accurate definitus hiſce verbis: "In regione, et caetera," genus unum conſtituit, octo genera componunt,

componunt, nempe ſcrophula, et caetera, quorum nomina ſola diagnoſin aperte ſatis oſtendunt.

3. *PROGNOSIS.*

Dum conjecturas facimus de eventu hujus morbi aeque ac aliorum, neceſſarium erit uti non ſolum ſymptomata quae adſunt, verum etiam, in hoc morbo praecipue, ſtatum praeſentem in quo aegrotans verſatur, attente perpendamus, ut qui ſpem levaminis immediatam magis minuſve praebeat.

Ad ſymptomata quod attineat, ſi in hoc morbo alvus hactenus immodice conſtricta, ſolutior evadit, cutis mollior, laevior, colorem naturalem induit, ſi maculae lividae paulatim evaneſcunt, et aeger conſuetum artuum movendorum uſum recuperat, et exercitationem indies alacriorem ſenſim ſenſimque ſufferre valeat, eventus auſpicatos ex jure ſperare poſſumus.

Sin ex adverſo, ſanguinis effluxus ex diverſis corporis partibus profuſius occurrunt, ſi animi deliquium magis frequenter accedit, ſi dolor

lor acutus ſub ſternum una cum dyſpnoea et dyſenteria perſentitur, verendum quidem ne res in pejora ac triſtiora citiſſime corruant.

Nec minus ad rem pertinet, quam ſymptomatum ipſorum cognitio, ad prognoſin hujus morbi rite indagandam, uti locorum ſitum, et vivendi modum quo verſatur aeger, internoſcamus.

Si fructus maturos et vegetabilia recentiora jam aſſequi queat, vel cito aſſecuturus eſt, de morbi eventu, ſub ſtadiis ejuſdem etiam provectioribus, haud temere pronunciandum.

Sin vero, e contrario, in talibus rerum anguſtiis ita conſtituatur, uti haecce naturae commoda obtinere nequeat, et victus unicus quo veſcitur de genere animalium, eoque quodammodo in putredinem jam vergente, conſtat; quinetiam, ſi hauſtus aquae, et prout haud raro accidit jam vitiatae, parciores aſſequi tantummodo queat, morbi etiam incipientis aſpectus leviſſimi triſtiora minaciter interminantur.

Ægroti etiam ſtatus et corporis habitus ante morbi ingreſſum probe cognitus, in prognoſin juſtam formandam multum conferunt. Apud juniores, alacres, ſtrenuos, et vigetos,

jure

jure optima ſperare poſſumus; e contra vero apud vietos, melancholicos, ignavos, et debiles, cauſa ſuberit, cur funeſtiſſima pertimeamus.

4. *CAUSÆ REMOTÆ.*

In hac parte diſceptationis noſtrae pertractanda, tantum in animo eſt enumerare, quaenam cauſae hujus morbi remotae cenſeantur, omiſſa prorſus actionis ſuae explicatione, quam in theoriam morbi poſtea tradendam retulimus.

Dum haſce vero cauſas enumerare conamur, primo conſiderare liceat iſtos corporis habitus, quos experientia edocuit eſſe maxime paratos uti homines ei obnoxios reddant. Hicce morbus igitur ex obſervatione praecipue aggreditur:

1. Debiles. Sive ſtatus iſtiuſmodi ex habitu corporeo, ſive ex labore nimio, ſive ex morbo diuturniore, procedat.

2. Ignavos. Hujuſmodi documenta occurrunt innumera, non ſolum in eis qui nulla ſuaſione in officium ſuum ſibi praeſtandum concitari

concitari volunt, ſed etiam in compluribus aliis, quibus, officii neceſſarii cauſa nihil agendum habentibus, a rebus quibuſlibet gerendis, prae nimia indulgentia, prorſus abhorrere liceat.

3. Melancholicos. Quod quidem aperte patet non ſolum ex eo, quod iſte morbus eos praecipue afficiat, in quibus animi temperies melancholica naturalis dominatur, ſed etiam ex eo, quod homines alia indole per naturam praediti, ſed qui ſub imperio formidinis *, moeroris, amoris, angoris, aliorumque affectuum deprimentium, forte ſubjecti, prout ejuſdem victimae praecipue ceciderunt: Nec minus ex eo quod apud navigantes in claſſe bellica primo plerumque frontem oſtendit, qui ad officium navale praeſtandum licet inviti conſcripti fuerunt.

Temperamentis corporeis morbo ſcorbutico maxime opportunis utcunque perpenſis: Caſus eos fortuitos qui in talibus corporibus hujuſmodi malum excitare valeant indagare, ſive cauſas occaſionales enumerare, conabimur. Hae vero quamvis ſingulae per ſe perpenſae propemodum

* Vid. B. Van. Sweiten, com. in Aph. 1150, vol. 3. pag. 599.

propemodum innumerae videantur eſſe, non tamen, uti ſuſpicamur, adeo natura diſcriminantur, quin in capita pauca generaliora reduci queant.

Singulæ vero, ſi non unicae, praecipue tamen, uti videtur, proxime inſequuntur.

1. Nutrimenti defectus. Obſervatum eſt, morbum ſcorbuticum, ubi victus copia defecerit, nonnunquam graſſari; prout videre eſt in oppidis obſidione arctiſſima clauſis, dum cibariorum inopia laboratur. Porro, narratum eſt de monachis quibuſdam tranſmarinis, per longa jejunia vitam religioſé degentibus, in eis omnia ſcorbuti marini ſymptomata, qualai, dentes vacillantes, gingivae ſpongioſae ſanguinem promptiſſime emittentes, et caetera, conſpicienda.

2. Nutrimenti vegetabilis inopia. Quandocunque vero res omnes aliae parum propitiae concurrunt, ſi vegetabilium recentium copia ſatis lauta ſuppetit, effectibus ſcorbuti perniciosis, magna ex parte, ſi non ex toto, tempeſtivius obſtare valebimus. Ex adverſo autem, ſiquidem eorum copia prorſus deſit, morbus undequaque majore ferocia ſaevire obſervatur.

3. Victus

3. Victus putridi ſive ſaliti uſus. Morbi ſcorbutici devaſtatio frequentiſſima inter homines qui ad uſum utriuſlibet neceſſario coacti ſunt; dum interea alii, in unoquoque reſpectu, ſub eiſdem fere rebus ſic circum ſtantibus poſiti, ſed ad eaſdem anguſtias haud redacti, prorſus evadunt incolumes; quin haecce cauſa ſit juſtiſſima, dubitandi locum vix relinquit *.

4. Secretiones obſtructae, praecipue perſpiratio. Ad hanc vero cauſam, complures aliae ſigillatim referri queunt, ut quae profecto ad ſcorbutum excitandum plurimum conferunt. Prout aperte patebit, ſi rite perpendamus effectus frigoris peculiares in hoc morbo producendo, qui nullo alio modo procul dubio vires ſuas exſerunt; prout ex exemplo inſequente ſatis liquebit.

Cl. Hulme diſerte enarravit †, experimentis inter navigandum ſedulo inſtitutis, ſeſe compertum habuiſſe, morbum ſcorbuticum oriri

* De hac cauſa, vid. B. V. Sweiten, com. in Aph. 1150, vol. 3. p. 597. Vid. etiam Monro diſeaſes of Britiſh military hoſpitals, p. 251. Vid. etiam Olaus Magnus. hiſt. de Gent. Septent. lib. 16. cap. 51. p. 570.

† Vid. Hulme diſſert. Med. inaug, de ſcorbuto, p. 36.

riri poſſe, quandocunque argentum vivum in thermometro Farenheitiano infra gradum ſexageſimum ſubſidit, ſive aer ſit ſiccus ſive humidus; e contrario vero, quandocunque calor atmoſphaerae argentum vivum ſupra gradum ſeptuageſimum attollere valet, morbum raro vel nunquam nauticos invadere, quamvis interea victu ſalito marino quotidie utuntur.

Exinde tamen nequaquam concludere licebit, victum ſalitum, et thermometrum infra gradum ſexageſimum, morbum ſcorbuticum, ubique terrarum, revera concitare poſſe. Niſi enim per ſeptimanas complures res ita ſeſe haberent, morbi ſymptomata ſeſe nuſquam oſtenderent; quum nihilominus obſervatio ſufficit, quae ſecretiones obſtructas ſcorbuti cauſam occaſionalem eſſe confirmat.

Auctores, de effectibus aeris humidi in hoc morbo * procreando, quamplurima in medium protulerunt; et quatenus coeli humiditas in obſtruendas ſecretiones tendàt, eatenus inter ſcorbuti cauſas occaſionales ex jure referri queat. Interea tamen documenta haud ambigua, eoſdem nullo modo ad morbum

* Vid. Lind. on ſea ſcurvy, p. 120. 121. 122. 123. 110. 111. 130.

producendum neceſſarios eſſe, oſtendunt. Inter alia innumera quae adduci quant, ea a Doctore Hulmio jam prolata ad argumentum noſtrum confirmandum ſufficiunt.

II. THEORIA MORBI.

Historia morbi generali ſic expoſita, uti diviſionibus ſingulis ſigillatim comprehenſa; reſtabit deinde, uti, per conſequentias ab hiſce documentis lucide deductas, morbi hujus naturam inveſtigare ſaltem conaremur; quo propoſitum noſtrum certiſſime attingamus, et praxin rationalem atque proſperam, ad quam ars medica unice ſpectat, aſſequamur. Medicinae pars theoretica cujuſcunque generis, quae natura ſua fluxa fuit atque circumvaga, ob eam rationem a medicis ſatis etiam peritis, tanquam conjectura ſupervacanea, quae credulos fallere et fantaſticos oblectare queat, ſed quae in utilitatem commodam revocare nequeat, merito quidem habita fuit. Quae tamen hic objiciuntur, in theoriam nullo ratiocinio innixam omnino depugnant. Ubi vero conjecturae noſtrae de morbi natura veris inni-

innituntur, concedendum omnino, eas in praxin promovendam quamplurimum collaturas eſſe. Succeſſus igitur ſpes, licet deſruſtrata, conatum vindicare ſufficiat; dum experientia parcior et aetas juvenilis expoſtulet, uti culpis leviuſculis, in re exſequenda forte commiſſis, ignoſcatur.

1. *RATIO CAUSARUM.*

In enumerandis cauſis morbi ſcorbutici remotioribus, cauſas praediſponentes ad imbecillitatem, ignaviam, et melancholiam; occaſionales, ad nutrimenti defectum, vegetabilium nutrientium inopiam, alimenti ſaliti et putreſcentis uſum, et ſecretiones obſtructas, antea retulimus.

Quasnam autem commutationes in corpore humano hae ſeparatim vel conjunctim efficiant, quae hujus morbi ſymptomatis exortum praebeant, inveſtigare conabimur.

Corporis humani fluida, in ſanitate validiſſima, commutationem a ſtatu mitiore ac blandiore ſub quo in ventriculum ingeruntur aſſiduam

duam ſubeunt, et progreſſus continuos in acrimoniam ſalinam paulatim faciunt, poſtquam formam hancce aſſumpſerunt, e corpore, tanquam diutius haud utilia, vel etiam, ulterius immorata, tanquam nociva, foras eliminantur.

Quod quidem in urina praecipue inveſtigare poſſumus, ſub qua ſal ammoniacum copia non mediocri latere, documentis haud ambiguis omnino compertum eſt * : Haecce igitur materia ſalina, ex acido ſibi peculiari et alkali volatili compoſita, conflatum aliquid eſſe cenſeatur, quod a cauſis ordinem naturae conſuetum obſtruentibus, in fluidis noſtris copia nimia occurreret, et morbo occaſionem ſubminiſtraret.

Salis tamen hujuſce copia ſuperflua, vel per defectum in ea materia, quae, ſi in ventriculum ingeſta, ad eum occurrendum tenderet, vel per earum ſecretionum diminutionem ſive obſtructionem, quae, nondum imminutae, exitum ei perpetuum conceſſerunt, vel per eam materiem copia majori ingeſtam, quae fomitem

* Vid. Gaub. Pathol. par. 316.

tem ſtrueret, ex quo ſal hujuſmodi conficiendus erat, ex neceſſario produceretur.

Quatenus autem morbi ſcorbutici cauſae occaſionales et praediſponentes, jam memoratae, eodem tendant, intuenti lucidiſſime patebit. Ob inopiam ſive defectum alimenti, praecipue ex genere vegetabilium, fieri nequit, quin ſequatur etiam inopia chyli blandioris, praeſertim chyli tali indole acida praediti, qui ad ſalem alkalinum in corpore coercendum unice comparari videatur.

Secretionibus vero, praecipue materiae perſpirabilis, obſtructis, exitus hujuſce prolis ſalinae, in corpore animali procreatae, dubio procul impedietur. Denique patebit, alimento putreſcenti ſive ſalito intus ingurgitato, fomitem iſtiuſmodi maxima in copia ſuppeditari, ex quo ſoboles iſta animalis unice conformatur. Materia putrida generis cujuſlibet alkali volatile paſſim evolvit, quod ſalis ammoniaci principium et originem conſtituere, ab omnibus conceditur; ſalita rurſus alkali fixum in ſyſtema convehit. Sal vero alkalinus in ſtatu fixo, experimentis in corpus inſtitutis, adhuc nuſquam detegi potuit: Extra corpus utique, ſal alkalinum fixum, corporibus inflammabilibus

mabilibus ſuperadditis, in volatile ſaltem converti poſſe, ſatis notum *. Annon igitur liceat, uti conjecturas inde propemodum certiſſimas faciamus, uno evaneſcente, et altero ſeſe in corpore patefaciente, commutationem huic haud abſimilem obtinere?

Ita profecto conſtaret, alimentum non ſolummodo putridum, ſed etiam multo ſale diutiſſime conditum, materiam maxima in copia ſuppeditare, ex qua ſal ammoniacum in corpore conficiendum.

Morbi igitur ſcorbutici cauſae occaſionales multifariae ad ſalis ammoniaci copiam ſupervacaneam in ſanguine procreandam evidenter tendunt. Nec minus in hunc effectum cauſae praediſponentes manifeſto conjurant; quoniam ſecretiones, praeſertim in imbecillioribus, melancholicis, et ignavis, praeter conſuetum nimis irregulariter procedentes, de caſibus etiam leviſſimis, in proclivi eſt uti adhuc ulterius obſtruantur.

2. *CAUSA*

* Siquidem ſali qualicunque alkalino fixo ſuperaddatur alkohol, ſal in ammoniacum vitriolicum convertetur.

2. *CAUSA PROXIMA.*

In rationibus explicandis quibus agunt morbi ſcorbutici cauſae occaſionales et praediſponentes, quomodo conjurant ad incrementum ſalis ammoniaci conficiendum, commonſtrare jam conati ſumus. Hicce ſal, in ſanguine per vaſa circumeunte progeneratus, parti ſeroſae vires ſuppeditabit, quibus lympham coagulabilem diſſolvat, ſive ſtatum ſanguinis ſolutum reddat, quem uti ſcorbuti cauſam proximam aſſignare haud veremur.

Quo autem ſententia noſtra ulterius confirmetur, aſſeverare velimus :

1. Quod ex ſupra dictis aperte patebit, cauſas ſcorbuti remotiores in ſtatum hujuſmodi concitandum, procul dubio, omnino conducere.

2. In proclivi eſt, uti jam ulterius aſſeramus, ſtatum huncce in morbo ſcorbutico revera ſubeſſe.

3. Denique commonſtrare conabimur, huncce ſtatum eſſe morbidum, qui, ubi ſubſit, rationem

rationem ſatis apertam ſuggerit, qua varia morbi phaenomena dilucide explicentur.

Quo vero probetur, ſtatum ſanguinis ſolutum in morbo ſcorbutico revera exiſtere, qui a ſale ammoniaco oriatur, ad ea documenta in tradenda morbi hiſtoria hactenus enarrata deinceps recurrendum.

a. Accumulationes variae ſeroſae, morbi comites, huncce ſanguinis ſtatum prorſus indicare videntur.

b. Quod quidem per ſanguifluxus innumeros qui eum, de cauſis etiam leviſſimis, vel ſponte ſua, comitari comperiuntur, veriſimilius adhuc redditur.

c. Hæcce vero conjectura, per documenta ex auctoritate Hoffmanni et Boerhaavii jam deprompta, et ab omnibus aliis qui de ſtatu ſanguinis ipſius in morbo ſcorbutico notatu dignum aliquid obſervarunt, extra omnem ambiguitatis aleam ponetur.

d. Porro etiam indagatio haecce, dum ſolutum ſanguinis ſtatum aperte coarguit, eundem a materia ſalina concitatum eſſe pronunciat; quoniam indoles hujuſmodi in ſero ſublateſcens altiori gradu deprehenditur, et in hoc

hoc morbo viribus antiſepticis magnopere pollere, a nonnullis obſervatur, cujus ratio ab incremento materiae ſalinae magis aucto denuo petenda eſt.

3. *RATIO SYMPTOMATUM.*

Sub ſectionibus binis praecedentibus, ſtatus in ſanguine ſoluti cauſas et exiſtentiam indagare conati, nunc progrediamur, et argumentum noſtrum, quo ſtatum huncce, veluti proximam morbi cauſam, amplexi ſumus, explicandis hac ratione variis phaenomenis, hic loci ſeſe oſtendentibus, ulterius confirmemus.

De ſingulis autem ſymptomatum pluriformium, in hoc morbo occurrentium, ſeorſim tractare, diſſertationis hujuſmodi limites multum ſuperaret, et praeterea ſimilitudo mirifica quae inter ea dominatur, ſigillatim explicata, vocibus iteratis, et nimis prolixis, ortum praeberet.

Quod nunc igitur agendum eſt, ad ſtatum morbidum magis generalem, immenſam ſymptomatum diverſitatem in ſe complexum, omnino

nino pertinebit; et in hiſce pertractandis, ordinem, prout occurrunt, quam proxime conſervare conabimur. Ecce vero,

1. *Debilitas in motibus voluntariis.*—Robur vigorque, in motibus voluntariis, a ſtatu vis nervoſae praecipue pendet; quinetiam, per indolem fibrarum motricium ipſam et ſolidorum nexum, magnopere afficitur; ſtatum vero ſanguinis ſolutum in priorem agere poſſe, nequaquam abſimile, in poſteriorem neceſſario agere, haud ambiguum.

Conſpectus oedematoſi.—Sanguis circumfluus, viſciditate ſua ſolita defraudatus, per vaſa continentia liberius exſudat; unde, ſub extravaſationis forma, per diverſas membranae celluloſae partes ſeſe diffundit.

Vibices et hæmorrhagiæ.—Sanguis, prae tenuitate ſua nimia, vaſcula tenera et minuſcula liberrime permeare conſuevit; haecce vero per naturam ſuam gracilia, et per ſtatum morbidum adhuc magis debilitata, opportune rumpuntur; hinc autem extravaſatio, quae, integumentis externis anguſte coarctata, vibicibus, et, hae ubi deſunt, haemorrhagiis, ortum praebet.

Ulcera

Ulcera foeda.—Ulceris indoles plerumque ex ipſius aſpectu, et ex materia purulenta foras expulſa, cauſis variis aſpectus ejuſdem afficientibus prorſus omiſſis, internoſcitur: Obſervare tantum liceat, ſolidorum ſtatum debiliorem, una cum habitu corporis oedematoſo, conſpectus ulceribus iſtis parum auſpicatos neceſſario ſuffundere; dum vis tonicae defectus, quo inflammatio commoda rite concitaretur, interea puris mitioris ac blandioris ortum prohibet.

Facultates animi depravatæ.—Nexus intimus, licet inexplicabilis, prout omnibus notum, inter corpus animumque arctiſſime cohaeret; et profecto mirum eſſet, ſiquidem affectus morbidus alterius adeo notabilis in alterum vires ſuas non exſereret.

DENIQUE, facultatis cujuſlibet, cum corporis tum animi, diminutionem, ſenſim ſenſimque progedientem, eventu naturali, lethum inſequitur.

III. CURATIO

III. CURATIO MORBI.

Ad medendi rationem nunc accedamus; quae in bina omnino capita diſpertitur :

1. Uti morbo occurratur, dum aegrotans a caſibus circumcirca minacibus actioni cauſarum magis opportunus evadit.

2. Ut idem, ubi revera jam invaluit, amoveatur.

1. *PROPHYLAXIS.*

Si conjectura noſtra de morbi hujuſce natura fundamentis ſatis validis innititur, aperte conſtabit, prophylaxin accommodatam, in caſu quolibet, ingerendis viribus quae ſalis ammoniaci dotibus iniquis interdicant, obtineri poſſe. Tales autem vires a pleriſque ex genere vegetabilium nobis abunde ſuppeditantur; ac proinde eſt, uti, hiſce cum victu animali

mali probe commiſtis, nuſquam graſſetur morbus ſcorbuticus.

Vegetabilia igitur, ubicunque affatim ſuppetunt, in morbum ſcorbuticum, uti prophylactica efficaciſſima merito cenſeri debent.

Hæcce vero, in caſibus compluribus, praeſertim in eis ubi aliae cauſae ſcorbuticae majore violentia ſaeviunt, inter perigrinationes praecipue marinas longinquiores, omnino deſiderantur.

Hisce vero deficientibus, chymici medicique complures, ex ingenio ſuo verſutiſſimo, farraginem rerum diverſarum prope infinitam, quae eidem propoſito inſerviat, excogitarunt, et in medium protulerunt; ſales fixi, volatileſque, liquores ſpirituoſi, ſucci eſſentiales, elixir omnigenum, electuarium multiforme, vicibus ſingula, periclitationibus quam plurimis irrito conſilio factis, incaſſum tentata fuerunt. Acida foſſilia et vegetabilia, elixir vitriolicum, acetum *, et caetera, nec minus in auxilium fruſtra ſaepiſſime advocata ſunt.

Max-

* Lind on Sea Scurvy, p. 191.

Maximum fortaſſe commodum quod a rebus quibuſlibet, eo conſilio uſitatis, proveniat, ex ſuccis aurantiorum et limoniorum recentioribus aut conſervatis, uti propoſuit Il. Lind *, vel ex infuſo hordeaceo confecto, ſicuti praeſcripſit Cl. Macbride, expeditius obteneri queat †. At facile concipi poteſt, rem haud fore leviſſimam, ſi quidem hominibus optima ſanitate gaudentibus, praecipue vero nauticis, omnino perſuadere volueris, uti quodlibet ſub nomine medicamenti praeſcriptum exhauriant. Forſitan itaque, quod in hocce propoſitum efficaciſſime reſpondeat, utpote cui lubentiſſime atque promptiſſime indulgeant, erit uſus vini aduſti Gallici aqua diluti, addito ſucco aurantiorum aut limoniorum ſacchari pauxillo commiſto, mediocriter adhibitus; quippe quod, ob dotes ſuas quibus pollet, vim vitae exhilaret atque ſuffulciat, ad ſecretiones uberrime promovendas inſerviat, ac perinde accumulationi ſalis ammoniaci obviam eat.

Quin etiam, praeter ea quae ore accepta in ventriculum ingeruntur, alia complura concurrunt,

* Lind, p. 207. 8.

† Vid. caſus complures a Cl. Macbride in medium prolatos, in quibus infuſum ex hordeaceis confectum periclitationi ſubjectum fuit.

currunt, quae nec minus ad morbum praecavendum plurimum valeant; ex hiſce praecipue videantur eſſe veſtimenta nequaquam uvida, mundities, et exercitatio; res haud parvi momenti, quas, cura diligentius adhibita, facillime navigantibus inculcare poſſumus.

2. *METHODUS MEDENDI.*

Rationibus omnibus morbi praecavendi non obſtantibus, haud raro accidit eundem improviſo ſeſe oſtenſurum eſſe. Conatibus igitur noſtris prioribus in prophylaxin parum proſpere cedentibus, aut periclitationibus idoneis nondum factis, reſtabit omnino uti morbo jam gliſcenti mederi quam proxime conaremur. In hac parte diſſertationis noſtrae pertractanda, primo commutationes, quas in ſtatu morbido, qui per ſyſtema dominatur, ad ſanitatem recuperandam, inducere oportebit, ſive indicationes curatorias, quas implere neceſſarium erit, indagare, prorſus enitendum. Ecce vero inſequuntur:

I. Su-

I. SUPERVACUAM ſalis ammoniaci copiam in ſanguine latentem coercere:

a. Incremento ulteriore praecavendo.

b. Quod jam progeneratur exſtinguendo.

c. Exitus quam citiſſimos per ſecretiones expediendo.

II. CORPORIS vires refocillare et corroborare:

a. Vim vitae ſuſtentando.

b. Tonicis idoneis fibras motrices afficiendo.

INDICATIONIBUS curatoriis ita prolatis, unice reſtat, uti rationes per quas eis efficaciſſime reſpondeatur inveſtigemus.

QUO autem melius intelligatur quibus tandem rationibus augmentis ſalis ammoniaci digraſſantibus occurramus, haſce cauſas, quae, uti jamdudum enarravimus, eum augere cenſeantur, in animum revocare oportebit. Namque haud raro accidit, uti in eis anguſtiis verſemur, per quas nullatenus illis obviam ire

queamus;

queamus; at rarius ita collocamur, uti quibuſdam obvenire non valeamus.

Quandocunque igitur in promptu non erit, unde nutrimentum ex genere vegetabilium, ſive nutrimentum quodlibet quanta ſufficiat abundantia, ſuppeditaremus; alimenti tamen putreſcentis uſum evitare, vel ſecretionum obſtructionibus occurrere, ſaltem poſſumus. Huic igitur indicationi, quatenus ope medica conceſſum erit, per rationes inſequentes optime reſpondebitur:

1. *Per oblectamenta alacriora quæ corpus exhilarent, et exercitationi mediocri cauſam præbeant.*— Quoniam eorum ope nobis in promptu erit, indolem corpoream morbo, prout hactenus arguimus, praecipue peropportunam quodammodo debellare, ratione efficaciſſima qua robur redintegretur, ignavia ſuperetur, aut melancholia diſcutiatur.

Si quaeratur autem, quibuſnam oblectamenti generibus animus occuparetur? eorum coaptatio, magna in parte, ex voluntate aegrotantis, et ex aliis rebus inter quas, naſcendi ſorte, vitam degit, unice petenda. At, niſi inclementia coeli, et atmoſphaerae conditio pa-

rum ſalubris, alia ſuaderet, oblectamena ſub dio quotidie peracta caeteris omnibus longe praeſtarent.

2. *Diætam ſatis alentem.*—Haec enim non ſolum vires ſuas exſerit, prout medela quae naturalem ſanguinis proclivitatem, in ſtatum iſtiuſmodi vergentem, compeſcat, in quam alimenta recenter ingeſta, quaſi libramen contrarium, a natura comparantur; ſed ulterius adhuc eas vires corpori reſtituit, quibus ad ſanitatem ſuam conſervandam pertendere conſuevit.

3. *Per uſum nutrimenti vegetabilis.*—De parte primaria in operationibus hujus claſſis quae ad abolendas ſalis ammoniaci vires jam enatas omnino pertinent, poſtea locus erit uti verba faciamus.

Hic vero ſolummodo conſideranda veniunt ea quae prout ad morbum anteveniendum tendant, quod quidem efficiunt alkali in ventriculo latitante exſtincto, ac proinde interdicto, ne in molem fluidorum circumeuntium introeat, et exinde pabulo dimoto, quocum coaleſcens acidum proprium animale ſalem iſtum

ſtum ammoniacum conformare queat, quem eſſe morbi-cauſam proximam oſtendere conati ſumus.

4. *Per attentionem ſedulam ad ea quæ variis excretionibus favere conſueverunt*—Nempe tranquillitatem idoneam, exercitium modicum, plagam coeli liberam, veſtimenta nitida ac probe ſota, munditiem corporis univerſam, et caetera.

Auxilia hujuſmodi ſalutifera tempeſtivius adhibita, calculis omnibus aequilibrio penſitatis adaptata, uti incremento ſalis ammoniaci ulteriori praeveniant, haud raro ſyſtemati corporeo facultatem concedent qua ſanitatem ſuam priſtinam recuperet, et in remedium contra morbum efficaciſſimum evadent. At, poſtquam morbus aliquamdiu perſeveraverit, naturae vires medicatrices in conſilium ſalutare parum ſufficient; unde non ſolum incrementum praecavere, ſed etiam quod hactenus generatum eſt exterminare, neceſſarium erit; quod deinceps agendum eſſe oſtendimus, quo ſalis ammoniaci copia ſuperflua coerceatur.

Difficile quidem dictu, an revera ſal ammoniacum, in ſanguine jam conceptum,

per

per ullas vires inter quas verſamur prorſus aboleri necne queat. Talis utcunque rerum commutatio excogitatione ſaltem concipi poteſt; quinimmo etiam probabilis habetur, per effectus notabiles a ſubſtantiis quibuſdam in medelam ſcorbuti ſaluberrime adhibitis haud raro concitatos. Ex hiſce vero maxime inſignes quae adhuc innotuerunt, ecce, vegetabilium ſucci acido ſuo nativo praediti, vel acidum ipſum nativum rite confectum, opportunius adhibitum, jure concelebrantur. Quibus acceſeatur, quatenus hiſtoriis undequaque collatis fides habenda, mulſum ex hordeaceis infuſum. Quibus autem rationibus effectum hujuſmodi producant, effatu difficile, forſan impoſſibile. Quoniam vero per totum diſceptationis hujuſce decurſum conjecturas feciſſe nuſquam dubitavimus, nimis ſero quidem pedem referre jam conaremur.

Sicut argumentati ſumus, ſalem ammoniacum morbi hujuſce cauſam eſſe propinquiorem, ita ex jure ſuſpicari licebit, acidum ſemel introductum, nec in primis viis adhuc deletum, in huncce ſalem conficiendum viam ſternere poſſe. Obſervandum vero, ſalem ammoniacum

moniacum in excretis repertum, ac in ſanguine ſcorbuticorum praecipue abundantem, non ex acido vegetabili una cum alkali volatili connexo, ſed ex alkali volatili acido proprio animali connubio juncto, conformari. Annon ideo, quaeſumus, acidum alienigenum, ſemel introductum, decompoſitum aliquod ex ſale neutro, jam concepto, produxiſſe, vel alio modo quolibet eum inertem reddidiſſe valeat? Liquor hordeaceus recentius incoctus, per virtutes aeris fixi in ſeſe coarctati, forſan operatur; ſed, quibuſnam tandem modis hoc efficiatur, in promptu dixiſſe non eſt.

Qui putredinem veluti morbi ſcorbutici cauſam deſignarunt, quique liquoris hujuſce uſum haud abſque laude ſua introduxerunt, iidem aerem fixum, a liquore hordeaceo extricatum, quodcunque a ſyſtemate, in morbo concitando, fraudibus ereptum fuit, reſtituere contenderunt. Monendum tamen eſſet, documenta ſatis valida nondum adducta fuiſſe, quae teſtentur, vel morbum ſcorbuticum a putredine, vel putredinem ab aere fixo jam elapſo, primordia duxiſſe. Haud noſtrum eſt autem opiniones aliorum refellere. Obſervaſſe ſufficiat, quaecunque theoria ſit, quae

ad

ad explicandam medicaminum illorum actionem ſeſe offerat, quod ex exemplis inſtitutis concluſiſſe liceat, eam eſſe tali virtute praeditam, qualis morbi ſcorbutici cauſam in corpore latentem quodammodo delere queat.

Methodus accommoda per quam ſubſtantia omnis hujuſmodi ſalutaris in hocce propoſitum utiliſſimum applicetur, ex operibus ſcriptis Cl. Lind, et Macbride, qui uſum ejuſdem in palaeſtram medicatricem prius introduxerunt, unice repetenda.

Denique, in occurſum ſalis ammoniaci in corpore ſupervacui, propoſitum fuit, exitus ei citiſſimos ex corpore per organa diverſa ſecretoria expedire.

Priusquam vero obſervata quaelibet de methodo per quam indicatio haecce adimpleatur in medium proferamus, haud alienum erit monuiſſe, evacuantia omnia violentiora, prout experientia univerſa compertum eſt, morbum magis inveteratum, ſaepius immedicabilem, reddidiſſe.

Quo autem ſcopum noſtrum attingamus, auxiliis tantum leniſſimis, ſumma cum cautela, prorſus utendum.

Quod

Quod uti efficiatur, evacuatio modica per alvum, ope purgantium leviorum, per cutim, balneo, pediluvio, frictione, circumſpectius occupatis, per urinam denique diluentibus, quin etiam diureticis lenioribus affluenter exhibitis, aſſidue promovenda.

II. Siquidem per uſum eorum quae ſub indicatione praeeunte tractanda propoſuimus, ſive per aliam medelam quamvis magis ſalutiferam, morbi ſymptomata ſaeviora remolleſcant ac dimoveri queant; agendum deinceps reſtat, uti ſyſtema corporeum viribus nexibuſque ſuis probe confirmatis, in vigorem priſtinum reſtituamus, quo curatio abſolute perficiatur, et redintegrationi prorſus occurratur.

Indicatio haecce ſcorbuto cum aliis morbis omnino communis adimplebitur, ſi quidem vis vitae commode ſuffulciatur, nec non ſi tonica idonea fibras ipſas ſolidorum motrices afficientia ſedulo adhibeantur.

Quibus autem rationibus haecce meta pertingatur, utpote ſatis notis et pleniſſime conſtitutis, nec ad huncce morbum ſeorſum ab aliis ſigillatim pertinentibus, opuſculo noſtro de ſcorbuto

ſcorbuto jam peracto, verbum amplius addidiſſe ſupervacaneum foret.

Confitemur ingenue, theoriam noſtram, prope omnem, ex inſtitutionibus Cl. Culleni publicis excerptam, nos deprompſiſſe; et ex obſervatis a viro egregio Cl. Gregorio ſupellectilia complura, nobis utiliſſima, in ſubſidium advocaſſe.

Restat denique, uti Profeſſoribus Academiae hujus illuſtriſſimae, quotquot omnibus, gratias agamus; quorum praelectionibus, per triennium uſque, nos interfuiſſe, laeto animo terrarum ubique recordabimur.

F I N I S.